



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 83. Genuensium conspiratio in Auriam Ducem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](#)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1547.

§. LXXXIII.

*Genuensium conspiratio in Auriam  
Ducem.*

*Sleid.* l. 18. Sub idem tempus Genuæ exorta est se-  
p 650. ditio, quæ Imperatorem anxiis om-  
*Belcar.* l. 24. nino curis agitabat; quippe Petrus Lu-  
" 32. p. 781. dovicus Fliscus prosperæ, qua Andreas  
*Thuan. hist.* & Janetinus Auria potiebantur, fortu-  
l. 3. n. 1. næ inimicus ad supremum Genuensis  
Imperii Magistratum trucidato utroque  
hoc Duce semetipsum evehere statuit;  
inquo enim ferebat animo, quod Im-  
perator Auriacam Familiam ad tantum  
potentiæ, atque auctoritatis fastigium  
eveyisset, ut non modo ea ceteris No-  
bilibus superior evaderet, sed etiam ur-  
bem, totamque Rempublicam sibi sub-  
jectam teneret: Fliscus itaque, ut ne-  
fandum hoc propositum exequeretur,  
quosdam juvenes ad quævis crima  
perpetranda proclives sibi conciliabat,  
noctisque beneficio usus cum illis abiit,  
ac Janetinum Auriam aggressus, illum  
scopeto trajecit. Hoc rumore excita-  
tus Andreas Auria defuncti Patruus,  
cum Podagræ doloribus detentus de-  
cumberet, a suis famulis deportatus fu-  
ga vitae suæ consuluit. Jamjam tota  
ferme urbs seditionis, qui armis un-  
dique cincti ex Flisci Palatio eruperant,  
potestati erat subjecta, cum classici re-  
miges

miges hoc tumultu animati catenas dis-Sæcul. XVI.  
rumpere, seque libertati afferere para- A.C. 1547.  
rent. Fliscus, ut fugitivos sisteret, pro-  
tinus occurrit, verum fatum ita tulit,  
ut ab una ad alteram triremem ascen-  
surus, fallente vestigio in mare prola-  
psus submergeretur, quin ejus corpus,  
ut in tenebris fieri amat, ab ullo tum re-  
periri potuerit, quo circa ex conjuratis,  
cum se Duce suo orbatos cernerent,  
audacia in metum versa nonnulli Massi-  
liam, alii vero ad alias urbes auffuge-  
runt, totaque conjuratio unius Viri in-  
teritu dissipata est: Cæsar vero ob Jan-  
netini Auriæ necem vehementer affli-  
ctus Farnesianos concitatæ hujus sedi-  
tionis insimulabat, magis tamen ini-  
quo ferebat animo, quod ei nuntiatum  
esset, Franciscum I. Galliarum Regem  
hujus conjurationis Auctorem extitisse,  
ab eoque clam Fliscum ad tantum faci-  
nus fuisse sollicitatum: Verum hæc su-  
spicio nulla ratione firmata videtur;  
quippe Franciscus adeo non victiarum,  
quas Cæsar reportabat, cursum fistere  
studuit, ut nequidem in rem suam ver-  
tere intentus esset pacis foedus nuper  
cum Angliæ Rege initum, cuius tamen  
opportunitate Mediolanensem Ducatum  
infestis armis invadere, nullo ferme ne-  
gotio potuisset.

#### §. LXXXIV.